

SECTIO III.

De Effectu Jurisdictionis Subalterne Ecclesiastica.

SUMMARI.

83. & seq. Indigitatur generalis effectus Jurisdictionis Subalterne Ecclesiastica. 85. & seqq. Singularis effectus est Majoritas & Obedientia. 88. Inferior non potest contra Superiorem præscribere jus præcedentia. 89. Inter non-subditos primus titulus præcedentia est dignitas. 90. Secundus est Oratio. 91. Tertius est antiquitas. 92. Quartus est privilegium. 93. Quintus est præscriptio vel consuetudo. 94. & seq. In Ec-

clesia propria nullus alteri præcedentiam cedere tenetur. 96. & seqq. Superior immediatus negligentiam inferioris supplet. 99. & seqq. Distinguitur, an Archi-Episcopus ordinarius supplet negligentiam Episcopi in Jurisdictione contentiosa? Resolvitur affirmativè. 105. & seqq. Contraria diluuntur. 107. Speciale quid in collatione beneficiorum adnotatur. 108. Recurritur ad regulam.

§. I.

Indicatur Effectus Jurisdictionis Ecclesiasticae Subalterne.

83. Effectus Jurisdictionis Ecclesiasticae Subalterne ipsam in priori scilicet indicatus; quæve cullibet ex Prælati Majoribus Potestas competat, memoratum est. Nempe intra limites & orbitam sui districtus omnes fideles, cujuscuque sint conditionis, status, aut Ordinis (nisi probaverint exemptionem) obligatos habent, ad ea, quæ virtute Jurisdictionis imperantur, jubentur, aut disponuntur,

amplectenda, facienda, & exequenda. cap. de Xenodochiis 3. cap. constitutus 6. de Religiosis, dum. Eos verò, quos refractarios, contumaces, aut pertinaces experitur, obnoxios reddit censuræ Ecclesiasticæ, quam omnes interminare possunt, quotquot Jurisdictione Subalterna præcellunt per text. in cap. perniciosi 1. cap. consequente 16. de Off. Judic. Ord. cap. cum Episcopus 7. eod. in 6.

§. II.

De Majoritate & Obedientia.

85. Singularis effectus Jurisdictionis Ecclesiasticæ Subalterne est debita subordinatio inter Prælatos, Superiores & inferiores, seu (ut SS. Canones in tit. XXXIII. præsentis libri pronuntiant) Majoritas & Obedientia; illa respectu Superiorum; ista respectu inferiorum.

86. Cum enim Ecclesia in SS. Literis non tantum ut æcis castrorum ordinata, sed etiam ut caeleste Jerusalem deprædicetur, Ordinem Hierarchicum & Monarchicum, quò sine nec Exercitus nec Civitas aut Regnum conservari potest, tam exactum instituit, ut unus alcerò major, ac inferior Superiori, gratissimâ harmoniâ, subordinatum se profiteatur. Quam in rem D. Gregorius in cap. ult. Dist. 89. ad hoc, inquit, dispensationis Divinae provisio gradus diversos & ordines constituit esse distinctos, ut, dum reverentiam minoribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diversitate consentio, & velle officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim Universitas alia poterat subsistere, nisi hujusmodi magni eam differentia ordo servaret. Quia vero quæque creatura in una eademque qualitate gubernari, vel vivere non potest, caelestium militiarum exemplar nos instruit: quia, dum sunt Angeli, & sunt Archangeli, liquet, quia non sunt æquales, sed in potestate & ordine (sicut nobis) differit alter ab altero. Gonzalez ad cap. cum certum 1. de M. & O. n. 5.

87. Ordinem hunc & subordinationem invertere non licet; nec auditur vel manuteneri inferior, præcedentiam supra Majorem & Superiorem præcedens; etiam si consuetudi-

nem, aut præscriptionem temporis immemoralis alleget. Rota Rom. in rec. p. 15. dec. 212. num. 10. & seqq. Card. de Luca de Præminent. dist. 16. n. 11. dist. 18. n. 5. dist. 30. n. 14. est enim potius corruptela, quam rationabilis usus, ordinem Hierarchicum immutare, minores supra Majores exaltare, & Majores infra minores humiliare arg. cap. cum ex illo 1. de Translat. Episcop.

Cæterum si unus alteri subiectus non sit, ad quæstiones præcedentiæ, si quæ in concursu moveantur, decidendas, oportet scire, quòd quinque potissimum occurrant rituli, ex quibus præcedentia deducitur. I. est Dignitas aut Jurisdictionis excellentia, quæ Cardinales v.g. Patriarchas & Primates; hi Archi-Episcopos; isti Episcopos &c. per cap. Cleros 2. Dist. 21. præcedunt. Card. de Luca d. dist. 12. num. 3. Repetatur n. 75.

II. est Ordinis præstantia, juxta quam Cardinales Episcopi præferuntur Presbyteris, & hi Diaconis; Prælati non-Episcopi sequuntur Episcopos; Clerici in minoribus Clericis in majoribus postponuntur cap. ult. Dist. 17. cap. à Subdiacono 5. Dist. 93. cap. sicut inimus 15. de M. & O. & ibi Gonzalez à n. 1.

III. est temporis antiquitas, quæ personis, ceteroquin Dignitate vel Ordine paribus præcedentiam tribuit in omnibus conventibus, processionibus, festionibus, subscriptionibus per cap. cum certum 1. d. t. Gonzalez ibidem num. 5. Card. de Luca de Præminent. dist. 16. sub n. 11.

IV. est auctoritas privilegii, ratione cujus Episcopus Ostiensis, seu consecrator Summi Pon-

Pontificis, inter Cardinales est primus; ac ille, qui Sacros Ordines à Summo Pontifice recipit, cæteris in eodem gradu anteponitur cap. perimus 7. de M. & O. Gonzalez d. n. 5.

93. V. est consuetudinis aut præscriptionis prærogativa, cujus adminiculò non quidem inferior contra Superiorem suum ex num. 88. sed alius contra alium præcedentiam acquirere potest, veluti decidit Rota in recent. p. 16. dec. 168. n. 6.

94. Planè in Episcopatu proprio Episcopus nulli tenetur cedere locum primum, etiam si major

sit Dignitate. Card. de Luca cit. dist. num. 3. Chaffan. in Catal. gloria mundi p. 4. considerat. 22. Barbosa J. E. V. lib. 1. cap. 13. n. 11. Sicut & Parochus in sua parochia præcedentiam habet ante Prælatos, aut Canonicos Cathedralis, singulariter incedentes, prout idem Card. dist. 21. n. 7. citatis Rotæ decisionibus firmat: in proprio siquidem Episcopatu solus Episcopus est omnium Superior; nec tenetur alium Prælatum, respectu cujus alioquin nullam foret subjectionem, agnoscere, vel revereri.

§ III.

De Supplenda negligentia Prælatorum.

96. Alius & singularis Subalterne Jurisdictionis Ecclesiasticæ effectus est, quòd, si Prælati sint negligentes in exercitio Jurisdictionis, Superior immediatus inferioris negligentiam supplere possit & debeat. Adeoque si Abbates aut alii Prælati, Episcopi inferiores, non-exempti suum officium intermittant, illud per Episcopum suppletur; si Episcopi non-exempti non faciant, quæ faciendæ, Archi-Episcopus se intromittit; si etiam iste suo muneri desit, ad Primate vel S. Pontificem spectat, defectum emendare. Textus in cap. licet 3. cap. ult. de supplenda neglig. Prælat. cap. ult. eod. in 6.

97. Hunc ordinem & gradum supplendi negligentiam unanimitè admittunt Canonistæ, quando defectus aliquis in exercitio Jurisdictionis voluntarie committitur, ac beneficia v.g. tum electiva, tum collativa, tum patronata, statuto à SS. Canonibus tempore non conceduntur. At quando Episcopus est negligens in administratione Jurisdictionis contentiosæ, ac partibus aut omnino negat justitiam, aut illam, causâ jam in Episcopi Consistorio pendente, protrahit, quamplurimum devolutionis ad Archi-Episcopum inficiantur, quibus ex Modernis assentiuntur P. Wieselner ad cit. tit. n. 46. P. Reiffenstuel ibid. n. 10. P. Schmalzgrueber eod. tit. num. 7.

98. Textum obtinent in cap. Romana 1. de suppl. neglig. Prælat. in 6. ubi in casu, quòd Episcopus ab usu Jurisdictionis ob culpam ac inde contractam excommunicationem impeditur, illius devolutio negatur ad Archi-Episcopum fieri: cum id non invenitur à Jure concessum.

99. Rationem dant ex num. 30. ubi notatum declinamus, quòd Archi-Episcopus non habeat Jurisdictionem in subditos Suffraganeorum suorum, præterquam in casibus, à Jure expressis; qualis non est præsens.

100. Verùm post Glossam in cit. cap. Romana verb. culpa, Hostiensem in summa ad tit. de Off. Judic. Ord. sub n. 7. Azorem Instit. Moral. p. 2. lib. 3. cap. 34. n. 10. in f. devolutionis ad Archi-Episcopum fortiter defendit P. Engel ad tit. de supplenda neglig. n. 4. & seqq. Ratio principalis est: quia DD. ad cit. tit. commentantes, plerumque generalem statuunt regulam, quòd inferioris negligentia à Prælato

immediatè superiore suppletur, non tantum ob rubricam generalem, sed etiam ob textus, rubricæ subnexos, præsertim in cit. cap. licet 3. & cap. ult. item cap. ult. in 6. in quibus in specie supponi videtur, negligentiam Episcopi corrigi ab Archi-Episcopo, etiam in Jurisdictionibus: utpote cum in d. cap. ult. in 6. tempore Sedis Episcopalis vacantis Archi-Episcopo detur potestas, administratorem constituendi, si Capitulum Cathedralis (quod Episcopi vicem subit, ac in ejus Jurisdictione succedit) in spiritualibus aut temporalibus negotiis aut perperam administraverit. Idque propterea sic cautum fuisse, judico: quia harmonicus & hierarchicus ordo perinde in Jurisdictione contentiosa quam voluntaria debita subordinationem exigit, ac inferioris negligentiam à proximo Superiore gradatim fieri petit; sicut & appellatio, pertinet ad Jurisdictionem contentiosam; sit gradatim, atque ab Episcopo ad Archi-Episcopum interponitur.

Ad textum contrarium Resp. P. Engel sub 105 num. 6. cum, si ritè intelligatur, sententia fore non adversari, sed patrocinari: cum enim sit positus sub rubrica de suppl. neglig. Prælat. ac devolutionem Jurisdictionis neget ob culpam Episcopi; tacite supponit, in casu negligentia devolutionem esse concessam; sique adhaerat alterius exceptionis regulam ponit in casibus, non exceptis.

Ad rationem Resp. casum devolutionis in 106 textibus, in n. 102. citatis, abundè declaratum & expressum esse; & ulterius deduci posse ex appellatione, cui non abfinitis est recursum, à subdito Suffraganei propter negatum aut protractam justitiam ad Archi-Episcopum institutum: non enim is solum gravatus esse videtur, cui jus suum ab Ordinario sententiam est adjudicatum; sed etiam cuius & justitiam per sententiam adjudicare Ordinarius recusat.

Exceptio à regula devolutionis, quòd gradatim fiat, habetur in collatione beneficiorum, vel ad Episcopum privative, vel ad Capitulum spectante; neglecta siquidem provisione intra legitimum tempus, jus conferendi devolvitur à Capitulo ad Episcopum, & ab Episcopo ad Capitulum cap. nulla 2. de concess. Præb.

108 *Præb.* Quodsi collatio pertineat simul ad Episcopum & Capitulum, nec intra semestre perficiatur, servatur regula, jusve conferen-

di devolvitur ad Archi-Episcopum per *cap. postulatus 15. d. 1. junctio cap. ult. de Suppl. neglig. Pralat.*

CAPUT V.

De Jurisdictione Subalterna Sæculari.

Post Jurisdictionem Subalternam Ecclesiasticam, non pigebit contemplari Sæcularem, si Jura, quæ Statibus & Proceribus Imperii Romano-Germanici, tum Ecclesiasticis tum Sæcularibus, competunt, intelligere allubescat.

SECTIO I.

De Etymologia, Descriptione, & Origine Jurisdictionis Subalterne Sæcularis.

SUMMARI.

- 1. & seq. Explicatur nomen Jurisdictionis Subalterne Sæcularis.
- 2. Assignantur synonyma.
- 3. & seq. Non est idem cum Regalibus.
- 4. & seq. Neque coincidit cum Jurisdictione criminali.
- 5. & seq. Definitione varia adducuntur.
- 6. Definio pro jure gubernandi territorium accepta.
- 7. & seq. Est summa post

Imperatorem Potestas. 19. Cum prerogativis Regalibus. 20. Pro certo territorio. 21. Immediatè concessa. 22. Definio pro facultate sua dicendi accepta. 23. & seq. Explicatur.

27. Diversa placita de illius origine. 28. Conciliantur. 29. & seq. Notantur Censuræ.

§. I.

Etymologia Jurisdictionis Subalterne Sæcularis.

- 1. Jurisdictio Subalterna Sæcularis deducitur ex eo, quod Summam Jurisdictionem Sæcularem, quam penes Imperatorem in Imperio Romano-Germanico residere, diximus in *cap. 3. d. num. 61.* in multis participet, servatâ tamen subordinatione, subalternatione, & dependentiâ. Ea namque Summæ Jurisdictionis Sæcularis est natura, ut, pluries licet & pluribus communicata, maneat tamen Summa; nec consumatur, sed conservetur hâc ipsâ, quod illi, qui accipiunt, Summi Principis beneficio eam in acceptis referre & velint & debeant quàm maximè: quodve ad modum fluminis ita per investituras transeat participativè ad alios, ut per appellationes rursus ad se ipsam revertatur.
- 3. Habet varia synonyma, è quibus aliqua sunt certa; quedam ambigua. Certa sunt *Superioritas Regalis, Jus Statuum Imperii Regium, Analogia Majestatis, Jus principatus, Jurisdictio seu Superioritas Territorialis.* Germanicè die *Landesfürstl. Obrigkeit*; die *hoche Lands- Obrigkeit*; die *Landes-Ober-Herrschaft*; R. L. de anno 1543. §. vii. etiam 66. *Knipfchildt de Nobilit. lib. 3. cap. 1. n. 9. & seq.* Christophorus Mingius de *Superior. Territor. cap. 1. n. 5.* Vitriarius *Instit. Jur. Publ. lib. 3. tit. 15. num. 2.* Pfeffinger in *not. ibid.*
- 4. Dubium autem est I. an Jurisdictio Subalterna & Territorialis idem sit, quod Regalia die *Herrschaften*? Et licet nonnulli sic putent,

ac teste Sixtino de *Regal. lib. 1. cap. 1. num. 18.* in usu loquendi hæc duo sæpe confundantur; communissima tamen sententia est, quod non sit idem. Nam omnis quidem Jurisdictio Territorialis jura Regalium sibi connexa & cognata habet; nec tamen omnis, qui jura Regalium possidet, simul Jurisdictionem Territorialem obtinet: nec bona est illatio à Regalibus ad Jurisdictionem; bona autem à Jurisdictione ad Regalia. Mingius *cit. l. num. 12.* D. Antonius Guilielmus Ertl de *Jurisdict. Territor. appar. 2. pag. 25.* Differunt autem principaliter & I. ratione *subjeti*: quia Jurisdictio Territorialis solis immediatis Imperii Civibus; Regalia etiam mediatis competunt. II. ratione *abjeti*: quia Jurisdictio Territorialis virtualiter & regulariter continet Regalia; etsi hæc illam non comprehendant. III. ratione *modi*, seu cause efficietis: nam Jurisdictio ex dicendis à solo Imperatore & Imperio; Regalia etiam ab aliis conceduntur. D. Ertl *ubi supra.*

Dubium est II. an pro synonymis habenda sint *h Landesfürstl. oder Lands-Obrigkeit*; & *h hohe Obrigkeit*? Videtur siquidem à pluribus sine formidine pro synonymis passim usurpari: & tamen, si strictè & propriè velimus, ut debemus, loqui, multum discrepant. Nam *h hohe Obrigkeit* ex sua significatione non Superioritatem Territorii, ut *h Landesfürstl. oder Lands- Obrigkeit* deno-

denotat, sed Jurisdictionem *Altam* seu *Criminalem*, quæ à Jurisdictione Territoriali von der *Landesfürstl. & Lands- Obrigkeit* ex notoria Imperii praxi, sæpenumero distincta, & separata est. Videantur *Wernerus obs. pract. verb. Zentz. Speid. eod. verb. Beföld. verb. Zalts- Gericht & verb. hohe Obrigkeit.* Dietherus in *addit. ib. Lundenspor de Imperior. orig. cap. 30. num. 29. in fin.*

11 Vix tamen exrelatis synonymis usitatus est

§. II.

Definitio Jurisdictionis Subalterne Sæcularis.

Definitur Jurisdictio Sæcularis Subalterna seu Territorialis diversimodè. *Knipfchildt de Nobilit. lib. 3. cap. 1. n. 41.* sic definit: est jus & potestas Summi post Imperatorem Imperii & Dominatus, sublimi regiæque Jurisdictionis lege, sub nomine & qualitate dei *Landes- hohen Obrigkeit* concessa, & legitime quaesita, regulariter in omnes, Territorio inclusos, ordinario & proprio more competens.

12 Lymnæus apud Pfeffingerum in *not. ad Vitriarium ubi supra num. 4. l. a.* ita definit: „Superioritas Territorialis est jus Summi post Imperatorem Imperii, eique connexorum Regalium, in omnes Territorii subditos, „Supremi ex concessione Principis quaesitum, „aut usu longævò obtentum.

13 „Coccejus *Jurisprud. Publ. cap. 21. §. 7.* sequentibus terminis definit: „est Summa quædam Potestas, certo Territorio cum jurbus „Regalibus, salvò jure Imperii, immediatè „competens.

15 Vitriarius *cit. lib. 3. tit. 15. n. 5.* hæc ratione definit: „est Potestas, Statibus Imperii, in suis Territoriis, competens ubique, nisi quatenus vel Lege vel consuetudine prohibentur.

16 Ego Jurisdictionem Subalternam seu Territorialem dupliciter accipere soleo; primò pro jure gubernandi Territorium; secundo pro facultate jus dicendi. In acceptione priori sic definitio, quod sit Summa, post Imperatorem, Potestas, cum prerogativis Regalibus, pro certo Territorio immediatè concessa.

17 Dixi I. Summa, post Imperatorem, Potestas. Ut ostenderem imprimis, Jurisdictionem Subalternam, seu Territorialem, non ferre quidem aliquem Superiorem in suo Territorio, quæ sit ejusdem rationis & ordinis; non tamen excludere Majestatem & Suprematum Imperatoris, cui subordinata, ac in tantum est subiecta, ut & ab eo per investituram petenda, & si quis illa abutatur, ab Imperatore reformanda vel adimenda sit. Mingius de *Superior. Territor. cap. 2. n. 24.* Ut ostenderem deinde, scaturiginem vulgarissimi brocardici, quod Status quilibet Imperii tantum in suo possit Territorio, quantum Imperator in toto Imperio, profuere ex Summa, post Imperatorem, Potestate, seu Jurisdictione,

vocabulum pro exprimenda Jurisdictione Subalterna, quam *Jurisdictio seu Superioritas Territorialis*, à Territorio seu ditione vel districtu, vulgò eine *Landeschaft* oder *Reichs-Bild* denominata: quia videlicet univèrsitatem, quandam jurium intra fines & limites sui ambitus complectitur. D. Ertl *cit. loc. appar. 1. pag. 6. & 7.* cum citatis. Et hinc sine discrimine jam unò jam alterò vocabulò utimur.

19 quam Status Imperii, salvò Imperatoris & Imperii jure, suis in Territoriis acceptantur.

Dixi II. cum prerogativis Regalibus. Velut enim in *n. 5.* præmissum est, Jurisdictio Territorialis virtualiter includit Regalia, hoc est, prerogativas illas, quæ Regibus aliis propriae sunt, ac enumerantur in *sic. 6. Feud. 2.* Sicque pro eo, qui Jurisdictionem Territorialem habet, stat præsumptum, quod etiam habeat Regalia per text. in *sic. 14. in pr. Feud. 1.* *Knipfchildt cit. cap. 1. n. 32. & seq.* D. Michael Münchmayr *Jurispubl. cap. 22. pag. 602.*

Dixi III. pro certo Territorio. Jurisdictio Territorialis enim, ut *ex n. 11.* à Territorio nominata, ita, juxta D. Ertl de *Superior. Territor. appar. 1. pag. 8.* ex Territorio, tanquam effectus ex sua causa, suborta, necesseque Territorio, seu magno seu parvo, potest existere, ut cum communi docent *Knipfchildt d. l. n. 19. & seq.* Mingius *cit. cap. 1. num. 10.* Münchmayr *cit. cap. 22. pag. 603.* nec extra Territorium extendi: quia limites Territorii dicuntur fines Jurisdictionis.

Dixi IV. immediatè concessa. Ex quo inferatur, quod nemo alius Superioritatem (excepto Imperatore) ibi habeat, ubi habetur Jurisdictio Territorialis: qui enim alium, quam Imperatorem, in suo solo & districtu Superiorem agnoscat, non ipse Dominus Territorialis Jurisdictionis, sed alterius Domini Territorialis Landstasus erit; etiam merum & mixtum Imperium ac simplicem Jurisdictionem habeat: quippe cum hæc species Jurisdictionis censentur quidem in dubio coherere Jurisdictioni Territoriali, absolute tamen sine illa consistere possint.

Quodsi Jurisdictionem Territorialem ad sensum Romani Juris in altera acceptione sumere placeat, definiti potest, quod sit eminentior aliqua ac Summa, post Imperatorem, Potestas, jus politicum pro certo Territorio dicendi.

Dixi I. eminentior aliqua ac Summa potestas. Cujus indolem, ex judicio & discursu D. Joannis de Felde infra citandò loco, addiscere possumus, si, quam Praetores in libera Republica Romana, vi suæ Regiæ Jurisdictionis, Potestatem habuerunt, cum ista Jurisdictione Territoriali conferamus. Primò enim, ut in libera Republica Praetores erant custodes Legum, vimque his & edicta addebant, ut serva-

servarentur : ita Proceres Imperii, qui Jurisdictione Territoriali gaudent, custodes sunt Legum, tam Juris Romani privati, quam Jurispublici Romano-Germanici; nec non & Juris provincialis statutarii. Secundo : quemadmodum Praetores Legibus, quae Republicae amplius conducere non videbantur, jura nova suis edictis inchoo Magistratus in albo substituebant : sic hodie Status Imperii, quibus Jus Commune non aequè commodè videtur infervere, suum Jus Provinciale subditis praescribunt. Tertio : sicut Praetores suos habebant Consiliarios & Judices pedaneos,

illos pro Legum interpretatione & decretis faciendis; istos vero pro Legibus & decretis applicandis : ita & multò magis Magnates Imperii habent suos Consiliarios, & officiales; nec Judices tantum pedaneos, sed & Ordinarios constituunt, pro jure statuendo, dicendo, reddendoque. Quarto : veluti Praetores credebantur, Jurisdictionem sub jure, suisque auxiliis habere & exercere : sic & longè fortius hodierna & immediata Imperii membra suam Jurisdictionem jure proprio, ac vi Territorii, cujus sunt Domini, exercent. Joannes de Felde in *commentar. de Alt. Real. cap. 11. §. 15.*

§. III.

Origo Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis.

27 **O**riginem Jurisdictionis Subalternæ, seu Territorialis, Imperatorum Clementiæ tribuendam esse, Germani & exteri Scriptores unicum attestant. Quisnam verò primus ex Imperatoribus fuerit, qui tantam præeminentiam primitus indulerit? In tanta opinione varietate certi vix aliquid definiri potest. Verosimilior videtur illorum sententia, qui Jurisdictionem Territorialem non unò impetu & partu invaluisse, sed pedetentim ac tractu temporis per modum alluvionis sæcerevisse, tradunt : ita quidem, ut sub ævum Caroli Magni primæ illius semina jacta; sub tempora Otronum firmiores radices actæ; sub tempora Caroli IV. robur superadditum; ac ultima denique perfectio virtute Pacis Westphalici fuerit adjecta, prout sentiunt Lundenfpor de Imperior. orig. cap. 30. n. 56. & seq. D. Ertl de Superiorit. appar. 1. pag. 12. & seq. Equidem Severinus de Monzambano (quem pterique volunt fuisse Samuelem Puffendorf) & nonnulli rerum Germanarum rigidiores censores exprobrant nostris Imperatoribus, quòd authoritatem, potentiam, & vires suas multum diminuerint, mutilaverint, suppresserint, integros Ducatus, Comitatus, Territoria, cum tanta Jurisdictionis & Privilegiorum magnitudine, concedendò. Verum

28 **A**uthores, mox nominati, & plures alii causas sat prægnantes afferunt, hujusmodi concessionem contra obtricatorum linguas obfirmantes. Inprimis enim Germanorum libertas nunquam adeò constringi potuit, ut, aliarum Nationum instar, in servitutum quasi fe redigi passa fuerit; eaque ratione usque & usque Primores Germaniæ dominatum asserunt. Inprimis enim Germanorum libertas nunquam adeò constringi potuit, ut, aliarum Nationum instar, in servitutum quasi fe redigi passa fuerit; eaque ratione usque & usque Primores Germaniæ dominatum asserunt. Deinde Imperatores voluerunt eorum, qui in officiis Togæ & Sagi suam strenuè locaverant ac probaverant operam, sublimioribus beneficiis honorare. Insuper crediderunt, bono, utilitati, ac securitati Imperii certius prospectum iri, si illius Proceres commissas sibi ad regendum terras & provincias, non tantum precario & administrationis titulo, sed etiam proprietatis ac hæreditario jure gubernare possent : plerumque enim, que nostra sunt, ardentius amamus, & solertius defendimus. Postremò, potius ad incrementum quam decrementum Imperialis gloriæ videbatur cedere, non servis, sed ingenuis; nec ministris tantum, sed & Principibus ac Regibus dominari & imperare posse, veluti Carolus V. sæpius dicitur fectur : quia eò major est præeminentia, quò majoribus quis supereminet Nov. 15. in fine presat.

SECTIO II.

De Acquisitione & Subjecto Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis.

SUMMARIUM.

34. Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis acquiritur concessione Imperatoris. 35. & seq. Per investituram; aut 37. Coopérationem in numerum. Statuum declarata. 38. Acquiritur præscriptione. 39. Item spontanea subjectione. 40. Et conventionione. 41. Satis civis immediatus sum capax hujus Jurisdictionis. 42. In specie Ele-

Hor. 43. Principis. 44. Libera Civitatis. 45. Prælati Ecclesiastici. 46. & seq. Non obstante aliorum crisi. 50. & seq. Nec non Inmediati Nobilis Imperii. 54. Inducitur subjectum reale. 55. & seq. Exercetur in illos, qui sunt in & de Territorio. 59. & seq. Nempe subditos & Landstassos. 61. Item suo modo in rapsorum.

§. I.

De Acquisitione Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis.

34 **J**urisdictionis Subalternæ Sæcularis acquiritur I. concessione Summi Principis seu Imperatoris. Quemadmodum enim Imperator

est immensus ille totius Jurisdictionis Oceanus; ita Jurisdictionis Territorialis in Status & Magnates Imperii non aliam, quam ex Oceano

no Cæsareo derivatur; nec ab alio, quantumcunque præemineat, originaliter emanare potest. Knipfchildt d. lib. 3. cap. 1. num. 44. Mingius de Superiorit. Territ. cap. 2. n. 20. D. Ertl de Superiorit. Territ. appar. 1. pag. 22. Concedit autem Imperator Jurisdictionem Territorialem dupliciter; primò per investituram de Territorio, Principatu, Comitatu, Baronatu &c. cui Jurisdictionis Territorialis est annexa. Mingius cit. l. n. 20. & seq. Res enim eò videtur modò per investituram infeudari, quò modò constituta vel instructa noscitur. per cap. ex licetis 7. §. non exemptò jure &c. cap. cum saculuz 13. §. variane feudorum emptorum &c. de Jure Patronat. cap. accessorium 42. de R. f. in 6. l. omnia 1. §. 4. ff. de Off. Pref. Urbis l. pupillus 239. §. 8. ff. de V. S. Covarruv. præf. 99. cap. 1. n. 10. §. nona conclusio. Idque potissimum in contractibus bonæ fidei per l. Julianus 13. §. 10. ff. de Alt. empti l. quodsi nolit 31. §. 20. l. adiles 38. in pr. ff. de Adil. ed. quibus ex probabili meaque sententia feudum accenseatur. Secundo per coopérationem & relationem alicujus in numerum Statuum Imperii. Wehner præf. observat. verb. Landstättliche Obrigkeit pag. m. 462. Knipfchildt de Nobilit. lib. 3. cap. 1. n. 85. Mingius ubi supra num. 25. Enimverò, qui nobilissimo Statuum Imperii cœtui est incorporatus, est immediatus Im-

perii subditus; consequenter Summam post Imperatorem Jurisdictionem obtinet, nullaque, quam Imperatori quò tali, subiacet.

II. Acquiritur Superioritas & Jurisdictionis Territorialis præscriptione, veluti tacitè Summi Principis concessione, & ubi memoriæ hominum excedit, privilegio æquivalente, per ea, quæ superius in tract. 2. cap. 4. an. 23. probata fuere. Knipfchildt cit. l. n. 56. & seq. Mingius d. l. n. 26. Quoad tempus Præscriptionis refero me ad cit. tract. cap. 5. à n. 55.

III. Acquiritur eadem Jurisdictionis spontaneà subjectione illius, qui ceteroquin aut subjectus non esset, aut non eà subjectione, quam Superioritas Territorialis efflagitat; dummodò non vergat in præjudicium alterius, similis Jurisdictionis speciem habentis. Mingius d. l. n. 27. Knipfchildt n. 59. & alii, ab his citati.

IV. Acquiritur conventionione, quando v. g. castrum, oppidum, pagus &c. cui Jurisdictionis Territorialis aliunde coheret, venditur. Knipfchildt d. l. n. 60. Sicut enim ex n. 31. per investituram Jurisdictionis, tanquam accessorium, transit cum fundo feudali; sic etiam per conventionem, secutà traditione, transit. Gail. lib. 2. observ. 92. n. 9. Lauterbach ad tit. ff. de Alt. empti §. 28. Stryck in ususmod. lib. §. 10. Rota Rom. in res. p. dec. 164. n. 18.

§. II.

De Subjecto activo Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis.

41 **A**d hoc, ut aliquis Jurisdictionem Territorialem acquirat, vel activè habeat, essentialiter requiritur, ut sit immediatus Imperii civis ac subditus, utl concordi mente adstruat Publicità cum Knipfchildt d. l. n. 61. Mingio cap. 3. n. 30. D. ab Andlern Jurisprud. publ. & priv. lib. 1. tit. 10. p. 4. n. 4. Vulteo de Feud. lib. 1. cap. 5. n. 7. Ertl de Superiorit. Territ. appar. 1. pag. m. 59. Colligitur ex n. 21. & clarè deciditur in R. I. de anno 1548. §. wiewohl 66. ibi : in Ausschung / daß soldeneue Graffen und Herren nicht immediatè Bürger und Stände des Heil. Reichs gewesen / oder darinnen beigehert / sondern solcher Landts Fürsten Untertan und Landts Leuth waren. Mingius de Superiorit. Territ. cap. 3. n. 30.

Habent præterea Libera Imperii Civitates per Instrum. Pacis Olinabrug. art. 8. ita tamen ut hæc Jurisdictionis in Civitatibus non vocetur die Landstättliche Obrigkeit / sed die Landts hohe Obrigkeit / vel die Landts Oberund Herrlichkeit / vel etiam die Städtische oder Städtische Obrigkeit : quia videlicet non jura personalia Principum, sed Territorialia tantum & realia participant. Mingius ubi supra n. 42. & plur. seqq. D. Ertl cit. appar. 1. pag. 33. D. Felde ad action. real. d. cap. 11. §. 18.

Contra Prælatos Ecclesiasticos, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Præpositos, alii cum Ferrariensi, Alberico de Rosate, Guil. Barclato, Antonio de Butrio, quos citat D. Ertl. cit. l. pag. 24. multa comminiscuntur, eosque aut inhabiles aut indignos tantorum Principatum & Ditionum infirmulant.

Verum non desunt alii melioris mentis & notæ Authores, qui & dignos & habiles censent personas Ecclesiasticas, ut tantos Principatus & Ditiones una cum Jurisdictione Territoriali possideant, l. enim nulla est implicantia, ut una persona sub duplici respectu duplicem habeat Jurisdictionem, Sæcularem & Ecclesiasticam : adeoque etiam nulla est implicantia, ut aliquis simul tantum Episcopus jura Episcopalia, & tanquam Princeps jura Principalia & territorialia exerceat. Petrus Heigius part. 1. quest. 4. n. 53. II. Sacer-

42 In specie habent istam Jurisdictionis speciem S. R. I. Electores, Ecclesiastici & Sæculares, qui secundum A. B. cap. 3. §. 1. veluti columna prætorum Sacrum adificium circumspicienda prudentia solerti pietate sustentare, suo præsidio dexteram Imperialis potentia laborare, decorem & gloriam Sacrosancti Romani Imperii & honorem Casarum, & Republica compendia concordæ voluntate fovere dicuntur.

43 Habent etiam Principes Imperii, quasi rerum primi & capita dicti, tum Ecclesiastici, tum Sæculares, puta Archi-Episcopi, Episcopi; Abbates & Præpositi, Principes & non-Principes; Duces, Marchiones, Landgravi, Comites, Barones. Mingius d. l. num. 32. & seqq.

omni tempore in magno honore Germanis fuerunt: nam referente Tacito de Mor. Germ. cap. 11. ut turba placuit, confident armati; silentium per Sacerdotes, quibus tum & ceterandi sui est, imperatur: & cap. 7. ceterum neque animadvertere, neque vincere, neque verberare, nisi Sacerdotibus, permisum. Vitriarius Infr. l. P. lib. 1. tit. 15. §. 2.

III. Jam apud Imperatores & Reges Francicos nullus habebatur conventus publicus, nulla comitia, deliberatio & consultatio nulla, cui personæ Ecclesiasticæ non intererant; nec absque illarum consensu aut consilio quidquam auspiciatum fortunatumque suscipi posse credebant: tum quod vitam à Sæcularium moribus alienam viverent: tum quod partium studio vacare censerentur: tum quod doctrinâ & eruditione Laicis Germanis tum temporis longè præcellerent. Heigius cit. l. n. 57. & seqq. Vitriarius cit. l. Pfeffinger in not. ib. lit. a. Egregiè D. Ertl. cit. l. pag. 25. & seqq.

IV. cum Regna & Principatus à DEO, omnium Bonorum largitore, descendere animadvertent Romano - Germani Imperatores, persuasum sibi habebant, in grati animi significationem reciprocè quidpiam de Regnis & Principatibus DEO, & illis, qui servi ac ministri DEI sunt, reddendum esse: certumque est ex hæcioris, plures victorias preclibus Clericorum & Religiosorum, quam robore & vi armatorum obtentas fuisse. Hinc Imperatorum Constantii & Constantis, prout referuntur in cap. in qualibet 23. XXXIII. q. 8. effatum. erat: *Respublica magis augetur orationibus & religiosis, quam labore corporis & sudore.*

De Immediatis Imperii Nobilibus in Suevia, Franconia, & ad Rhenum, von der alten metelbahnen freyen Reichs: Ritterchaft in Schwaben / Franken / und an dem Oberrheinströhm / suscitatur controversia: an &

ipsi Jurisdictionem Territoriale habent? Negat enim post alios Vitriarius lib. 3. tit. 15. §. 11. quod habeant; ac pro fundamento allegat, Jurisdictionem Territoriale emulam Majestatis, atque aded Solis Imperii Statibus, non item Nobilibus, propriam esse. Sed, si Authores numerare velimus, plures sine comparatione adstruunt hæc Nobilibus Superioritatem Territoriale, uti videre est apud Besoldum p. 2. conf. 49. n. 117. Mingium de Superiorit. cap. 3. num. 47. Lundenfpor cit. cap. 30. num. 77. & seqq. D. Ertl. de Superiorit. appar. 1. pag. 32. illisque hanc Superioritatem iteratis jam vicibus adstruxit nostra Facultas Juridica Salisburgensis; & iustissime: nam, Immediati S. R. I. Nobiles habent exempta Territoria, atque in illis Summam, post Imperatorem, Potestatem, & omnia jura Regalia exercent: neque alium Superiorem agnoscunt, quam Imperatorem & Imperium. Ergo nihil ad rationem Territorialis Jurisdictionis illis deficit.

Quod autem dicantur non esse Status Imperii, multis non tantum certum non est, cum à multis DD. contrarium asseratur, veluti ex relatis in num. 51. conjicere licet; sed etiam ex eo nihil concluditur, quia est peccio principii: utrum Territorialis Jurisdictionis solis Imperii Statibus competat? Et verius omnino videtur, sufficere, quod aliquis sit Immediatus Imperii subditus, ac, præter Imperatorem & Imperium, nullum supra se Superiorem reveratur, ut patet ex n. 41.

De reliquo hæcenus de subiecto personali Jurisdictionis Territorialis sermo erat. Nam subiectum reale illius esse ipsum Territorium, disputatum jam fuit in cap. 1. à num. 12. & constat facillè ex dictis, præsertim in num. 20.

§. III.

Subiectum passivum Jurisdictionis Subalterne.

Jurisdictionis Subalterna, seu Territorialis, exercetur passivè in illos, qui sunt in. & de Territorio; sicque in subditos & Landstafios, nam ratione personarum, quam ratione rerum. Hinc communiter dicitur, quod subiectetur passivè tam in Territorio, quam in persona, Territorium habente, juxta cit. cap. 1. n. 119.

Dixi I. exercetur in illos, qui sunt in. & de Territorio. Neque enim ad hoc, ut Jurisdictionis in quemquam exercetur, sufficit, quod sit in Territorio, & ibi habitet, nisi etiam sit de Territorio, hoc est, Domino Territoriali subiectus. Quemadmodum ad hoc, ut in aliquem exercetur Episcopus Jurisdictionem, non sufficit, ut sit in diocesi, sed etiam requiritur, ut sit de diocesi, seu Episcopo diocelano subiectus arg. cap. cum Episcopus 7. de Off. Jud. Ord. in 6. & ibi Canonistæ. Exemplum luculentum huic rei declarandæ suppeditat D. Ertl. cit. l. appar. 2. pag. 37. in sola urbe Ratisbonensi, in qua, licet habitent Episcopus,

Abbas ad S. Emeranum, & Abbatissæ in Obere & Nidere Münster; non sunt tamen de Territorio Urbis, sed Status Imperii.

Dixi II. sicque in Subditos & Landstafios. Ut distinguerem cum eodem D. Ertl. a. l. pag. 47. Subditos & Landstafios à Vasallis. Vasalli quippe, tametsi aliquando vocentur subditi, propriam tamen subjectionem ex jure & natura feudi non habent; ut patet in Regibus Hispaniæ, qui Regnum Neapolis & Siciliæ à Sede Apostolica in feudum recognoscunt, subditos tamen Pontificios se minime profitentur. Neque Dominus directus Jurisdictionem absolutam, sed ad casus & causas feudales duntaxat restrictam in Vasallos habet. Unde est, quod Dominus directus, si insuper sit Dominus Territorii, non possit jura Territorii adversus Vasallos, sed adversus solos Subditos, exercere. Conferatur D. Felde de ad. real. cap. 11. §. 22. & 23.

Dixi III. tam ratione personarum, quam ratione rerum: in his enim & illis Jurisdictionis Domi-

Domini Territorialis fundatur, veluti jam prænotavi in cap. 1. n. 120. Qui ergo vel ratione personæ vel ratione rerum, in Territorio existentium, exemptionem aliquam aut immunitatem præterdit, illam aperitissimis do-

cumentis, ad præsumptionem Domini Territorialis, contra se militantem, diluendam, probare tenetur arg. cap. in Ecclesiis 1. & 2. de Capell. Monach. cap. ad decimas 2. Refr. spol. in 6. D. Ertl. cit. l. pag. 49. & seqq.

SECTIO III.

De Objecto & Effectu Jurisdictionis Subalterne Sæcularis.

SUMMARIUM.

62. Jurisdictionis Territorialis in ratione potestatis gubernativa habet pro objecto jus Religionis. 63. & seqq. Illius declaratio. 66. & seqq. Receptionem homagii. 69. & seqq. Jus Præbitionis. 72. & seqq. Jus collatandi. 75. Jus detrahendi certam portionem à bonis emigrantium. 76. & seqq. Jus Foresti. 80. Jus belli, pacis, & federum &c. 81. In ratione juris dicendi habet pro objecto potestatem con-

dendi Leges, mandata &c. 82. Potestatem constituendi & destituendi Magistratus. 83. Ergendi Tribunalia. 84. & seqq. Judicandi de omnibus causis temporalibus. 86. Munus tenendi Jurisdictionem. 87. Agrandi 88. Nullandi, confiscandi &c. 89. & seqq. Tribus hæc Jurisdictionis quasi- plenitudinem Imperatorie Potestatis. 93. & seqq. Inducit præsumptionem universalem. 95. Est propria & perpetua.

§. I.

De Objecto Jurisdictionis Subalterne Sæcularis, quatenus est potestas gubernandi.

Objectum Jurisdictionis Subalterne Sæcularis pro diversa illius acceptione & descriptione diversum est. Quatenus accipitur pro potestate gubernandi particulare Territorium, habet pro objecto primario jus Religionis, juxta receptum in Imperio Brocardicon: cuius est Regio, illius est Religio. D. Ertl. de Superiorit. Terris. appar. 5. pag. n. 100. & seqq. Quod tamen, ne ab aliquibus, actorum & gestorum Germanicorum ignaris, in sensum non-sanum detorqueatur, ita declarandum est, quod inter alia, quæ A Catholicis vi Pacis Religiosæ sibi arrogat, jura, sit jus reformandi in suis Territoriis, aded ut subditi vel Domini Territorialis sectam amplecti, vel aliorum (veluti multorum fert opinio apud D. Joannem Braun Var. amant. quest. 12.) migrare teneatur. Quam in rem Status A Catholicis non tam consentium dedere, quam potius, cum propter adversam potentiam resisterent non possent, se permissivè vel negativè habuerunt; id tamen in favorem Orthodoxæ Religionis assecuti, quod Dominus Territorialis illius nitorem conservare, errores contrarios purgare, se alterius sectæ defensores securò consilio eliminare valeat. Juverit desuper audire discursum Caramuelis in licta S. R. I. Pacis demonstratione pag. m. 115. ita: „ratiocinantis: cum animositas & abusus potentie eò venerint, ut Principes & Imperii Status non suas ditiones modo singuli, sed etiam aliorum Lutheranorum, imò & Catholicorum provincias inceperint deformare; proindeque nos Catholicos eò adegerit, injuria temporum, ut non possimus contra Protestantium coercere, & ex toto impeditur, ex duobus malis gravaminibus, quæ simul impediti non possunt, majori occurrimus, & permittimus, ut singuli suas

ditiones (terras videlicet, non animas) reforment, modò alienas relinquunt. Similes discursus invenies apud cit. Authorem pag. seqq.

II. huc spectat *Receptio homagii*, quod ab initio Regiminis Domino Territoriali à subditis præstatur; quove obedientiam, reverentiam, & subjectionem subditi jurato spontent vulgò die Erb- und Landeshuldigung Wist. Myller de Princ. & Stat. Imp. cap. 38. Mingius de Superior. Terris. conclus. 64. Knipfchildt de Nobilit. lib. 3. cap. 2. à num. 31. Swederus part. spec. sect. 2. cap. 11. n. 1. D. Ertl. cit. l. pag. 104. & aliquot seqq. D. Münchmayr Jur. Publ. cap. 22. pag. 617.

Dixi obedientiam, reverentiam, subjectionem &c. spontent, daß sie ihrem Lande, Fürsten holb/ freu/ und gehorsamb seyn/ desselben Schaden meiden/ Nutzen befördern/ und alles thun wollen/ was unterthänigen/ gehorsamen Unterthanen jürhan von sich selbstem gestimmet. Quodsi non obedientia, non subiectio, sed fidelitas tantum spondeatur, prout Vasalli spondent Domino feudali, Ministri suo Principi, ac clientes suo Protectori, jus advocatiæ habenti, receptio Homagii non est actus Superioritatis Territorialis, sed alterius juri particularis, veluti præter Authores citatos, & alios à se relatos, tenet Cravetta Consil. 451. n. 11. ac, in gravi causa non multis abhinc anni Facultas nostræ resolvit.

III. huc spectat *Jus Præbitionis*. Quando enim subditus Domino Territoriali juratam subjectionem promittit, vi ejus Dominum tueri, revereri, & defendere tenetur, vicissim Dominus ad bona, res, & personas subditorum defendendas & protegendas obligatur, aded ut & Domino nefas sit, subditos, à quocunq; preffos vel opprellos, deserere; & subditi